AD SIXTVM V. PONT. OPT. MAX. ORATIO

SANCTII DE SANDOVAL THEOLOGI
De Sancto Ioanne Apostolo, & Euangelista
habita in sacello Vaticano VI. Kal.
Ianuarij M. D. XXCIX.



ROMAE, Apud Ioannem Martinellum
Anno Domini. M. D. XC.

Superiorum Permissu.

BEATISS.^MO AC SANCTISSIMO D. N. SIXTO V. PONT. MAX.

SANCTIVS DE SANDOVAL.

NOn immeritò temeritatis, & arrogantiæ nota inuri mihi posset, Pater Beatissime, si primam, eamque humilem orationem minus elaboratam, cui multa adijci, nec pauca detrahi, & omnia, quæ in ea continentur fieri posse meliora non dubitem, in summam etiam breuitatem ex vetere instituto, & præscripta superiorũ temporum consuetudine redactam, Tibi eloquentissimo, & doctrina, atq; omnibus artibus eruditissimo inconsulte, ac temere dicarem. Quamobrem me diu, multumq; hæsitantem, et sanctissimam Maiestatẽ Tuam verentem primum non mediocriter commouit Illustrissimorum Cardinaliũ auctoritas, qui attentissimis animis, ac incredibili propemodũ benignitate me ex tam celebri loco dicentem audierunt, habitaq; oratione, e suggesto descendentẽ læto vultu, generali applausu, communique omnium gratulatione excipiẽtes, miris me laudibus ornarunt. Deinde iudicium tuum sapientissimum, quo mihi animum addidisti, Pater Sanctissime, cum Te mihi cõcionanti non modo serenissimo tuo vultu applaudentem ipsemet conspexerim, verum etiam de meo nomine, statu, genere, & studiis postea inquirentem, me-

que præmio, & honore afficere cogitantem ipsi Sanctitatis tuæ intimi cubicularij, tuo mihi nomine retulerint. At demum omnem prorsus, siquis adhuc reliquus erat, timorē dispulit urgens quadā occasio, quam mihi veluti diuinitus oblatam cum arripuissem iussu Illustriss:mi Principis, ac Domini Cardinalis Ascanij Columnæ optime de me meriti, cuius mandatis aduersari omnino mihi nefas esset, hortatu grauissimorū hominum, quib. ego plurimū defero, ac debeo: precib. demū amicorum orationem hanc, qualiscumq. ea sit, meq. ipsum ad Sanctissimos Beatitudinis Tuæ pedes animo gaudenti, ac libenti adduxi. Quid multis? Tantā in Te benignitatem, atq. in colloquio perspexi affabilitatem, quæ amoris maxima est conciliatrix, ut non modo orationem, uti statueram, in publicum emittere, sed etiam sub augustissimo Beatitudinis Tuæ nomine eam apparere, Tuoq. Felici munitam patrocinio prodire decreuerim: ut interim, dum alia molior, sit omnibus, ad quorum manus peruenerit, mea erga Sanctitatem Tuam deuotionis perpetuum monumentum. Deus Opt. Max. cuius nunc personam in terris sustines, Ecclesiæ suæ Sanctæ Beatitudinem Tuam dificillimis hisce temporibus quam diutissime conseruet incolumem.

O R A T I O.

QVOD olim Beatiſſime Pater Dei Omnipotentis Maieſtati aſſiduis, & importunis precibus inſtabat perfida illa, & incredula Iudæorum gens; *Innoua ſigna, immuta mirabilia, victricem manum tuam glorifica, æternum, & inuincibile brachium, in quo facturus es potentiam tuam, extende*; nunc demum ad noſtram vtilitatem, & gloriam magna cum omnium admiratione impletum eſſe videmus; nobis enim ſuis fidelibus hodierna die ex incunabulis vbi iacet inter glorioſos, & teneros dulcedinis ſuæ vagitus, clamare non deſinit: *Ecce, ecce noua facio omnia*. Enim vero vt ſacri, & eloquentiſſimi Auguſtini verbis vtar, in hoc Redemptoris natali noua fiunt profectò omnia. Nouus infans, nouus partus, noua mater, noua ſtella, nouū præſepe, noui martyres nouus deniq; Propheta, & Euāgeliſta. Quid amplius? nouus amor, noua charitas, noua benignitas, noua miſericordia. In quem amplitudinis gradum, in quod honoris, & dignitatis faſtigium nos immenſa Saluatoris noſtri Dei humanitas nō euexit? Dici enim profectò non poteſt, neque animo quidem, aut cogitatione comprehendi, poſtquam inter homines hominum conditor natus eſt, quam ſe munificum in genus hominum uniuerſum, ac liberalem oſtenderit. Huius diuinæ liberalitatis, ac magnificētiæ teſtē digniſſimū, vtpote ſuæ immēſæ charitatis ad uiuum transſcriptum exemplar, Ioannem Euangeliſtam hodierna die ſancta nobis proponit Eccleſia. Is primo Chriſti cōſobrinus ad Apoſtoli dignitatē euectus eſt; quæ inter omnes Eccleſiæ honorificos gradus, principem locum habet. Magnum hoc ſane, atque præclarum. Verum non minoris faciendum eſt, quod cum ex omni tum diſcipulorum, tum Apoſtolorum numero quattuor tantum deligendi eſſent, qui diuina illa Domini oracula omnem hominum, ac Angelorum captum excedentia, operaque illa ſingularia omnem admirationem ſuperantia, ad memoriam hominum ſempiternam literarum monumentis conſignaſsēt; in eo tam exiguo numero non ſolum Ioannē eſſe voluit, ſed inter ceteros omnes Euangeliſtas, & rerum ſcriptarum altitudine, & ipſo ſcribendi genere principē locum obtinere, quia ad præceptum Domini teſte Iob eleuanda erat Aquila hæc, & Ezechiele etiā ſubſcribēte *Aquila erat deſuper ipſorum quattuor*. Quid, ꝙ ex tribus etiā Apoſtolis, quos Dominus elegit, ut in horto ſanguineū mœſtiſſimi uultus ſudorē, & diuinos in monte transfigurati corporis radios intuerentur unum exſtitiſſe legimus? Quid, quod ex duobus, quos præmiſit, ut paſcha ſibi morituro Hieroſolymis pararent, hunc unum fuiſſe didicimus? Harum igitur ſiue communium, ſiue ſingularium aliorum Apoſtolorum laudum particeps ſēper fuit noſter Ioannes, ſed multis alijs beneficijs, ac muneribus ita inter ceteros eniteſcit, ut ſocium, aut parem neminem admittat.

Eccli. 36. *Iſaia. 43.* *Aug ſerm 5 de Natiuit.* *1. Cor. 12.* *Iob 39.* *Ezech. 1.* *Matth. 26.* *Luc. 22.*

Vnus enim fuit, qui ſine controuerſia uirgo à Domino electus virginitatem perpetuo coluit. Vnus, ceteris qui in acerbiſſima Domini morte metu perterritis, & huc atque illuc fugiētibus, & eumdem uel deſerentibus, vel *Ioan. 19.*

abnegan-

abnegantibus numquam ferè destituit neque frangi aliquo timore potuit,
quo minus illum omnium itinerum, ac laborum indiuiduus comes ad Cru-
cem usque sequeretur; & iuxta illam ardentissima charitate inflammatus
staret, eo præsertim tempore, quo omnes eius familiares, & amici longe erant
a cruce remoti. Vnus, cui Dominus in cruce pendēs Matrē Virginē virginē
Ioan. 13. commendauit. Vnus, qui supra pectus Domini in cena recubuit, fluenta-
que Euangelij inde potauit, & ibidem eum interrogauit; *Quis est Domine
qui tradet te?* Vnus qui singularem, & eximiā huius nominis dignitatē pro-
Ioan. 18. meruit, *vt discipulus, quem diligebat Iesus* appellaretur. Vnus, qui hāc glo-
riam obtinuit, ut Christi domini frater, & Virginis Matris filius diceretur.
Vnus postremo, cuius mors, & tumulus mirum in modum mirabilis extitit,
corpus siquidem eius nullibi in terris apparet.

Sed par est ut paullo diligentius expēdamus quibus signis, & argumentis
singularem illum in Ioannem amorē ostenderit. Quattuor ego signa præci-
pua esse video, quibus vim amoris, quo amicū prosequimur demōstramus.
Nimirū si multa, & egregia beneficia in illū conferimus; si illo familiariter
vtimur; si secretorū nostrorum participē facimus; vltimo si res maximi pretij
nobis longe charissimas illius fidei, & diligentiæ committimus. At hæc om-
nia in Ioanne fuisse quis non uidet? Præcipuis tot, ac tantis fuit à Christo
Domino titulis, & beneficijs ornatus, vt quidquid alijs per partes collatū est,
totū simul in eum congestū, & collatum esse videatur. Et vt Apostoli digni-
tatem præteream, Vates fuit dū Apocalypsim literis mandat, futurorū myste-
ria continentē; fuit Pontifex dum tot Asiæ prouincias sui Euangelij prædi-
catione ad Christi cultum reduxit, auxit & conseruauit, ad vltimam sene-
ctutē illud semper ore repetens; *Filioli diligite vos inuicē.* Quod Euangeliū
eius, vel Epistolæ nisi mansuetudinē, charitatem, beneuolentiamq; spirant?
Fuit eximius Doctor ab antiquis patribus Theologus per excellentiā dictus.
Beda in pro com. in Ioannem. Vnde Beda ausus est dicere, quantū Doctrina sacra præcellit alias doctrinas,
tantum Euangeliū Ioannis antecellit reliqua Euangelia. Dionysius Areopa-
gita Ioannē Solem Euangelistarum uocat. Et quod maius est Chrysostomus
Dionys. in epist. ad ipsum Ioan. adeo excellentiā Ioannis extollit, vt non solū homines, sed Angelos ipsos ex
Euāgelio Ioānis multa didicisse affirmet: quēadmodū & Paulus ad Ephesios
Chrysost. in prologo in ... in Ioannem. ait, *vt innotescat nunc principibus, & potestatibus in cælestibus per Ecclesiā mul-
tiformis sapientia Dei.* fuit Martyr dū feruēti oleo immersus incolumis eua-
sit & ideo incolumis, quia satis super que illi fuerat ad triumphum martyrij
Christum in tormentis vna cū Sanctissima Virgine ad vltimū vsque uitæ spi-
ritū nusq̄ deseruisse. Immo ad radices sanctissimæ arboris hæ duæ cælestes
Aquilæ charissimum, & dulcissimū illum nidum intuentes una cū Aquila il-
la maxima, quæ eas velut alter Pelicanus proprio fouebat sanguine concre-
mari se ipsas momento mortis, & doloris affiatu attollentes ad nidū in latere
Christi conformatū aduolarūt, & licet earū alas coronati capitis spinæ acer-
bissimo dolore strā figerent, usq; adeo tamen p immensi illius incendij flam-
mas volitarunt, ut se ipsas in omnis dolorū illorum ignibus concremarunt.
Luc. 17. Marc. 13. Has fortasse Aquilas quasi digito commōstrabat Christus Dominus, cum
Matth. 24. dicebat, *vbi fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.* Deinde si ex fa-
miliari

miliaritatē intimæ necessitudinis argumentū sumitur; Quod maioris familiaritatis indiciū? quam in Christi Domini sinu molliter recumbere,& dulciter requiescere,& proditoris nomen libere percontari,quod neq; Apostolorum Princeps, qui tam audacter Christum alloqui solebat,ausus est interrogare? Baptista toto corpore contremiscit, & sanctum Domini verticē contingere minime audet, immo neq; corrigiam calceamēti soluere. At Ioannes in eiusdē præpotentis Domini sinu secure, & libere obdormiuit. Quæ ibi secreta (quod tertiū intimæ necessitudinis indiciū erat) non didicit? Quid non cum illo tamq̃ cum amicissimo Christus Dominus nō communicauit? Summum altissimæ Trinitatis arcanū, & ineffabilē diuini Verbi generationē ita illi detexit, ut alta uoce intonuerit *In principio erat Verbum &c.* Iam vero si Apocalypsim intueamur. Quot,& quanta surgentis, progredientis, ac laborantis Ecclesiæ arcana mysteria Angelo patefaciente condidicit? Ibi uarios rerum euentus, firmissimā in persecutionibus constantiam, bellorum, ac victoriarū triumphos, admirabili ænigmatū, atq; imaginum pictura repræsentat; ibi Regni cælestis arcana reserat; supernæ ciuitatis longe lateque splendentia mœnia, ingentes portas e singulis constantes margaritis, plateas amplissimas auro nedum micanti, sed purissimi vitri, ac cristalli in modum perspicui refulgētes; maximū deniq; eius ornatū, summāq; pulchritudinem depingit. Porro si is, qui in remotissimas orbis terrarum regiones proficiscitur, vxorē, liberos, charissima inquā pignora non nisi amico longissimi temporis spatio, ac maximorū discriminum experientia explorato commendare conspicitur (quod postremū amicitię indicium erat) summum sane necessitudinis,ac beneuolentiæ in Ioannē argumentū exstitisse omnino fatebimur; si eas opes,eos thesauros inspexerimus, quos illi Dominus asseruandos commendauit.Enimuero Christus in cruce moriens, ac in remotissimas alterius orbis regiones ad Patrē migraturus, quot, quantaque diuinæ liberalitatis reliquit monimenta? cum militibus crucifigentibus vestes dedit, latroni paradisum, Ecclesiæ aquam,& sanguinem, corpus cruci, vitam morti, mortem Deo, spiritū deniq; Patri commendauit. Aderat inter hos immensæ liberalitatis excessus, dilectus ille discipulus eximiū aliquod munus ex amantissimo magistro, aut cupiens, aut exspectans; At vero Dominus benignissimos in Ioannem oculos coniiciens, dulcissima ex ore verba, amplissima ex amore munera elargitur. *Ecce inquit Mater tua.* Quid tibi charissime ex testamento relinquam? Quid tibi legabo? En mater, qua post cælestē patrem,nihil habeo aut in cælo, aut in terra charius, atq; iucūdius. Hanc tu, quam cælestes spiritus,ut dominā, ac reginā uenerantur, in matrē accipe, hanc tibi cōmendo. *Ecce Mater tua*, quæ mihi mater est; ut iam non tantū mihi discipulus sis, sed etiam iure frater, siquidē una tecū mihi communis mater est. O summum dilectionis indicium. O singulare dignitatis,& gloriæ priuilegiū. Quid hac materni nominis appellatione blandius? Quid etiam sublimius,atque diuinius?

Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Ioan. 1. Apocalypsis descriptio. Matth. 26. Luc. 23. Ioan. 19. Ibidem.

Quanti habetur,quod Iudæ Machabæorū fortissimo a Nicanore, & eius militibus obsesso, & afflicto aureum ensem diuinitus elaboratum attulerit Hieremias Propheta, extendensque manum dexteram: dixerit, *Accipe sanctum*

2. Mach. 15

ctum

ftum gladium munus a Deo, in quo deijcies aduersarios populi mei. Sed quanto pluris habendum est, quod Ioanni a Cherinthis, & Ebionitis Christi redemptoris nostri diuinitatem negantibus, afflicto, & exulanti, non Onias antiquæ legis Sacerdos apparuerit, aut Hieremias Propheta, sed summus omnium Sacerdotum, & Prophetarum Dominus Iesus magna equitum cælestium stipatus militia, gladiū ex utraq; parte acutum ore suo diuino ferens, innuens fortasse gladio illo, quod est Verbum Dei, omnes eius diuinitatis hostes debellaturum. Ioannis enim Euangelium, quod gladius ille ex utraque parte acutus significabat, Hæreticos illos funditus deiecit, atq; deleuit. Hoc diuino ense, teste Gregorio, Apostoli firmati sunt: Hunc heri Stephanus manibus arripiens faciebat prodigia, & signa magna in populo. *En lectulus Salomonis, quem ambiunt sexaginta fortes omnes ad bella doctissimi vniuscuiusque ensis super femur suum*. Quis est iste lectulus nisi sacrum hoc Præsepe Saluatoris, ubi hodierna die diuinus Salomon requieuit? In quo eum infantulum sponsa considerans. *Ecce* (inquit) *tu pulcher es dilecte mi, & lectulus noster floridus*. Qui sunt enim Innocentes isti crastina die sacrificandi nisi cælestes flores, & erūpentes rosæ, quibus Ecclesia lectulum istū aspersit, ac decorauit? Sed quare hos teneros infantes Christi lectulum ambientes fortes appellat? quia cum eorum Dux, cuius nomen Isaias adhuc in cunabulis immorantis Deum fortem appellauit, innocens, & infantulus sit, quid mirum si coætaneos milites teneros etiam infantes elegerit. De quo idem Isaias, *antequam sciat uocare patrem suum, & matrem suam auferet fortitudinem Damasci, eiusque spolia diripiet. Noua bella elegit Deus; clypeus, & hasta si apparuerunt in his quadraginta millibus Israel*.

Apoc. 19. — Greg. hom. 30 in c. 14. Ioan. — Act. 6. — Cant. 3. — Cant. 1. — Isai. 9. — Isai. 8. — Iudic. 5.

Sed ut ad nostra Beatissime pater mea cōuertatur oratio, *En lectulus Salomonis, quem ambiūt sexaginta fortes*. Quis est iste lectulus nisi Catholica Ecclesia Sācta? Sed ubi est Salomon? *Ecce plusq̄ Salomon hic* Beatissimus pater noster; numquam enim ille *in omni gloria sua coopertus est, sicut unus ex his* Illustrissimis Cardinalibus, qui ad Vestræ Beatitudini ministrandum, & obsequendum sacrati sunt. *En sexaginta fortes* sanctissimum Ecclesiæ lectulum ambientes: *Vniuscuiusque ensis super femur suum*. Sed cū tanta Christianæ reipublicæ undique immineant mala; Vos Illustrissimi Principes, qui ad eius defensionem addicti estis. *Induite, Vos armaturam Dei; state succincti lumbos vestros: Galeam salutis assumite. & gladium spiritus quod est Euangelium*. Hoc nobis Hodierna die ex suis armamentarijs libentissime Ioannes profert. Sed adhuc his armis munitos hortatur Apostolus, *ut orantes sitis omni tempore in spiritu in omni instantia, & obsecratione*, primo *pro omnibus Sanctis, & ind[i]s*, qui ab Hæreticis omni laborum, & molestiarum genere torquentur: *Deinde pro peccatoribus*, quorum fides, & religio hac rerum perturbatione in maximum quotidie discrimē adducitur. Iustissimos Beatissimi Patris nostri conatus fouete, & gladij ancipites, quos hodie Vobis Ioannes donat, laterique Paulus accingit non in vagina subigi[n]osi delitescant, non ad ornatum tantum e latere pendeant; Sed sint in manibus vestris *ad faciendam vindictam in nationibus: increpationes in populis. Ad alligandos Reges eorum in compedibus; & nobiles eorum in manicis ferreis. Vt faciant in eis iudicium conscriptum: gloria hæc est omnibus sanctis eius*. Amen.

Ad Eph. 6. — Ibid. — Psalm. 149.